



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. V. Vicariatus. Ubi de præsentando Vicario Sæculari vel Regulari in Parochia incorporata Canonici Regulari. Difficultas ex eo oritur, quòd jam ultra 100. annos præsentatus fuerit Vicarius ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM V.

De præsentando Vicario Sæculari, vel Regulari in Parochia incorporata Canonice Regulari.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Ex Decreto Tridentini possunt Ordinarii Vicarios perpetuos constituere in quibuscunque Beneficiis Curatis, qua unita reperiuntur Collegiis, vel Monasteriis.
3. Septem limitationes hujus Decreti.
4. Nomine Monachorum in favorabilibus veniunt omnes Regulares. Canonice Regularibus præ Monachis licet administrare Parochias.
5. Constitutio Gregorii XIII. non tangit Regulares non Mendicantes.
6. 7. Habens jus præsentandi Vicarium disjunctivè, vel Sæcularem, vel Regularem, non perdidit jus præsentandi Regularem per hoc, quod ultra Sæculum semper præsentaverit Sæcularem.
8. Ad erigendam Vicariam perpetuam requiritur, ut Episcopus ponat Vicarium perpetuum in visitatione, idque faciat ex justa causa.
9. Cum de qualitate Beneficii ex prima institutione constat, cedit præsumptio, qua beneficium in dubio potius Sæculare, quam Regulare esse præsumitur.
10. Decisio pro Jure præsentandi Vicarium Regularem.
11. Potest, imò de Jure debet Ordinarius præsentationem Vicarii Regularis in casu præsentati admittere.
12. Vicarius Regularis legitime præsentatus, non necessarid debet habere Socium sui Ordinis.
13. Datur Appellatio, si non admittatur legitima præsentatio.

FACTI SPECIES.



Anno Christi 1335. Reverendissimus & Celsissimus Princeps S. Inclytæ Canonice Z. pro meliore Capitularium suorum sustentatione, incorporavit Parochialem Ecclesiam in P.

suæ Diocesis, pleno Jure, & facta potestate ibidem locandi Vicarium Regularem, vel Sæcularem ad nutum amovibilem. Ab anno 1594. quo Vicarius Regularis in ea Parochia institutus decessit, semper præsentatus ad hoc usque tempus (1712.) est Clericus Sæcularis. Nunc mortuo novissimè, qui ultimò Vicariam exercuit, Reverendissimus Præpositus, & Capitulares laudatæ Canonice, hujus necessitatibus adducti, iterum præsentarunt Regularem. Sed præsentatio ista rejecta fuit à Celsissimo Ordinario, & Reverendissimo, ac Capitulares jussi, juxta actus continuos per tempus immemorabile nunquam interruptos, intra terminum Juris præsentare aliquem ex Clero Sæculari. Ex hac facti specie exurgit,

QUÆSTIO.

An etiamnum memoratæ Canonice competat Jus in Parochia questionis collocandi Vicarium Regularem?

2. Rationes dubitandi,

Tria difficultatem parti affirmativæ faciunt. 1. Tridentinum; juxta quod Ordinarii deputare possunt Vicarios etiam perpetuos in quibuscunque Beneficiis Curatis, quæ unita reperiuntur Ecclesiis Cathedralibus, Col-
R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

legiis, & Monasteriis, non obstantibus Privilegiis, & Exemptionibus quibuscunque, prout constat ex Sess. 7. c. 7. de Reform.

Proceditque hoc, etiam si in Literis unionis expressa sit clausula, ut possint deservire per Vicarios amovibiles, si Literæ istæ ante Tridentinum emanarunt,

ut notat Garcias p. 11. de Benefic. c. 2. n. 5. Barbof. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 190. & alii ab his citati.

2. Quia per actus continuos ab annis centum & tredecim nunquam interruptos, nunquam præsentatus fuit à Reverendissimo Præposito, & Capitularibus Vicarius Regularis, sed semper Sæcularis; ut proin Privilegium locandi in Beneficio quæstionis Vicarium Regularem, per Literas incorporationis concessum, videatur ipso non-usu extinctum. 3. Quia ex antiqua Juris Maxima Beneficiis Regularibus Regulares, Sæcularibus Sæculares Clerici sunt præponendi. Videtur autem Vicaria Parochiæ quæstionis esse Beneficium Sæculare, cum per Clericum Sæcularem, & quidem tanto tempore possessum fuerit. Ergo &c.

Sed revera hæc tria argumenta plus apparentiæ, quam firmitatis habent.

Ad 1. Decretum illud Tridentini regulam nequaquam perpetuam facit; nam

Flores de Mena Var. q. 10. à num. 41. Sanch. moral. tom. 2. l. 7. c. 29. n. 191. Barbof. Allegat. 72. cit. n. 190. Leurenus For. Benef. p. 1. c. 3. §. 2. q. 114. & alii,

septem omnino casus excipiunt, in quibus Ordinarius non potest in Beneficio unito in-

E

stitueret

3. Respondetur ad rationes dubitandi.

stituere Vicarium perpetuum, sed debet approbare præsentationem Vicarii amovibilis, non obstante Tridentini Decreto. Et 1. quidem, quando à tempore immemoriali unio facta est, & ex tunc constat, Beneficium ita unitum semper fuisse administratum per Vicarium ad nutum amovibilem: quia Tridentinum nulli consuetudini derogat, nedum immemoriali, quæ ad sui derogationem speciali mentione indiget. 2. Si per viam pacti, & concordia, à Sede Apostolica approbata, cum clausula de serviendo Beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem facta est unio; quia ex clausula derogatoria contenta in hoc Decreto, non tollitur pactum & concordia à Summo Pontifice approbata; cum ad ejus derogationem mentione speciali sit opus. 3. Si pro bono pacis, & cessatione litium, rectaque Beneficii gubernatione expediret nihil innovari, sed institui Vicarium ad nutum amovibilem. 4. Si particulariter, & per se fuit unita Vicaria perpetua; quia constituendo in ea Vicarium perpetuum, dissolveretur unio talis Vicariæ. 5. Quando ex Privilegio, remunerationis gratiâ concessio, Beneficium esset unitum cum clausula ponendi Vicarium ad nutum amovibilem; quia in generali Privilegiorum derogatione, quam Concilium *loc. cit.* ponit, non includuntur Privilegia remunerationis gratiâ concessa alicui. 6. Quando ex Privilegio Pontificio post Tridentinum concessio unitum est Parochiale cum clausula instituendi Vicarii temporalis; quia cum Tridentinum nequirit potestatem Pontificiam restringere, dum derogavit Privilegiis, intelligi debet de Privilegiis ante illud Decretum concessis. 7. Quando Beneficium unitum est Monasterio Monachorum, aut Mendicantium, prout citatum Tridentini Decretum restrinxit Pius V. in quodam Motu proprio,

qui incipit: *Ad exequendum Pastoralis Officii debitum*, & editus est 15. Novemb. 1567. ubi §. 5. sic habet: *Et si dicta Parochiales unita erunt Monasteriis Mendicantium, possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos, si Ordinarii proprio examine, per se, aut eorum Vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in Regularibus Monachis tantum: dummodo in ea Parochiali, in qua unus è Monachis fuerit, servatâ formâ prædictâ, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis Monachis.*

4.

Ex his Casui nostro maximè favet Exceptio ultima. Neque obstat, quòd in Constitutione Piana *cit. de Regularibus Mendicantibus, & Monachis tantum loquatur Pon-*

tifex; præterquam enim, quòd Regulares omnes in favorabilibus nomine Monachorum veniant, Canonicis Regularibus quoad administrationem Parochiarum ab ipsis exercendam semper plus licuit de Jure communi, quàm Monachis, prout patet

ex c. quod DEI timorem. §. de stat. Monach. & Canon. Regular.

ubi à generali prohibitione, ne Monachi præponantur Ecclesiis Parochialibus, Innocentius III. exceptos declarat Canonicos Regulares ex ratione duplici: unâ, quia *istud de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur*; alterâ, quia *etsi à Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regula tamen in serviant laxiori, & per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari.* Et quamvis

Sanch. l. 7. *Moral. c. 29. num. 71. Pal. tr. 13. D. 1. p. 3. §. 1. n. 10. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 7. n. 53.*

in contrarium afferant Declarationem Cardinalium, juxta quam ex mente Gregorii XIII. etiam Canonici Regulares Beneficii Curati, Monasterio suo non uniti incapaces sunt redditus, ita ut & ipsi Dispensatione Pontificia egeant; quia tamen super hac Pontificis mente Lex, vel Constitutio aliqua nunquam publicata est, idcirco dicendum est, morte Ipsius expirasse. Et hinc Gonzal. *loc. cit.* in posteriore editione sustinet, Canonicos illos Parochiis Sæcularibus cum consensu proprii Prælati, præfici hodieum posse: atque ita declaratum est

à S. Congreg. & à Rota decisum teste P. Wiestn. *tit. de Præbend. & Dignit. num. 26.*

Imò non leve pro hoc argumentum sumitur ex ipso Tridentino, quòd, dum

Sess. 14. c. 11. de Reform.

statuit, *Regulares ad alium Ordinem translatos, etiam si Canonicorum Regularium fuerint, ad Beneficia Sæcularia etiam curatâ omnino incapaces existere, non obscure innuit, ista obtinendi jus Canonicis Regularibus, ad alium Ordinem non translatis, competere. Quod si autem Beneficii curati Sæcularis capaces per Tridentinum sunt, multò magis capaces erunt Beneficii Curati Monasterio suo uniti; quia hujus, ut ex dicta Piana Constitutione patet, capaces sunt etiam Religiosi Mendicantes, & Monachi, quibus per Jus commune quoad prælationem Ecclesiarum aliàs minus quid licet; quàm Canonicis Regularibus.*

Neque resolutioni huic contrariatur Constitutio Gregorii XIII. incipit in *tanta.* edita 1573. 23. Martii.

nam etsi per hanc Bulla Pii V. citata in parte respiciente Vicarias Ecclesiarum Mendicantium ad Juris, & Concilii Tridentini terminos reducta sit, quoad reliquos tamen Regulares nihil est immutatum, prout declaratum est à Cardd.

apud

5.

apud Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. D. 9. q. 18. fin.* Verba Declarationis sunt: *Sanctissimus D. N. Gregorius XIII. non habet pro revocata Bullam Pii V. de Vicariis perpetuis in Parochialibus, unitis Monasteriis Regularium, ubi Episcopus ad nominationem Monachorum deputat unum ex ipsis, praxio Examine approbatum, ad nutum amovibilem, & cum Vicario sic deputato debet habitare unus duntaxat alius Monachus, ne plures extra claustrum maneant.*

Imò idem Gregorius postmodum oretenus ut testatur Campanilla *in divers. Jur. canon. rubr. l. 7. c. 6. n. 121.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. n. 79.* apud Barbof. & Leuren. *ll. citr.*

revalidavit dictam Pii V. Constitutionem cum hac limitatione: *modo cum Religioso illo designando in Vicarium amovibilem, r. unus duntaxat alius Religiosus extra claustrum maneat.* Patet igitur

ex Trid. sess. 7. c. 7. de reform.

contra laudatam Canoniam Z. nihil probari.

6. Ad alterum Argumentum, sumptum ex actibus continuis per tempus immemoriale non interruptis, dico, potestatem presentandi Regularem Vicarium, per litteras incorporationis disjunctivè concessam, non fuisse amissam, etsi ab annis centum, & tredecim presentatus semper sit Vicarius è Clero Sæculari. Ratio est manifesta; quia ille per non usum amississe privilegium, & jus suum dici non potest, qui semper vel maxime usus est jure suo. Atqui quoad Parochiam quæstionis Reverendissimus Præpositus, & Inclyta Canonica Z. semper usi sunt jure suo; quia hoc alternativum est ad presentandum Vicarium Regularem, vel Sæcularem, & qui ex duobus alternativè concessis ad alterutrum se determinat, vel maxime hoc jure suo utitur, *juxta regul. 70. in 6. ibi: in alternativis electoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.*

Neque obstat diuturnitas temporis, quòd ultra Sæculum integrum nullus Regularis, sed Sæculares tantum Vicarii fuerint presentati; quia per hoc memorata Canonica jure presentandi Regularem, cum liberit, nequaquam cessit, sicut diei non posset cessisse jure presentandi successivè plures Clericos Sæculares, si à tempore immemoriali semper alternasset in Clericos Regulares, & Sæculares. Quorum omnium ratio à priori est; quia electio ex duobus alternativè concessis, est actus meræ facultatis, qui nunquam jus eundem exercenti tollit, nunquam ei, erga quem exercetur, adjicit, quantumcunque longo tempore continetur, ut exploratum est apud DD. & nominatim docet

Gaill. *l. 2. observ. 18. n. 4.* Covarr.

Reg. possessor. p. 2. s. 4. n. 6. Layman.

l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. n. 8. Vallens.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

tit. de præscript. s. 8. n. 7. Zoesl. *ff. eod. n. 40.* Engl. *n. 9.* Pirh. *n. 17.* König *n. 14.* Sannig. *c. 5. n. 6. & c. 6. n. 2.*

Ratio est; quia quæ hujusmodi sunt, cum sint meri facti, nihil juris ponunt, cui præscribi possit; antequam autem fiant, in rerum natura non sunt. Accedit, quia non decet, ut beneficium vertatur in debitum.

7. Proceditque hoc, sive per actum aliquem positivum tale quid factum sit, sive per omissionem actus, quem aliàs ponere quis potuisset. *Primi exemplum est*, si consuevit aliquis in molendino alterius molere, cum potuisset in altero; *Secundi*, si altius quis domum suam non ædificavit, cum jus habuerit altius ædificandi: nam primus, etsi 100. annis frumentum suum tulisset in aliquod molendinum, per hoc tamen non contrahit obligationem, ut non alibi molat; alter, etsi altius domum non exerit, non tamen per hoc amittet potestatem altius ædificandi, nisi aliquando ædificare volentem vicinus prohibuerit, & is de hac ædificatione cessarit; tunc enim amisit hoc jus,

ut benè advertit Engl. *n. 9. cit.*

Omnino simili modo res sese habet in Casu quæstionis. Potuit Inclyta Canonica per Litteras incorporationis presentare Vicarium Regularem; quòd verò non Regularem, sed Sæcularem à 100. annis & ultra presentaverit, ideò fecit, quia ob rationes sibi notas liberrimè voluit: igitur, sicut qui centum, & pluribus annis altius aedes suas non tollit, quod jure potuit, per hoc tamen jus altius tollendi non perdit; ita nec laudata Canonica presentando Sæcularem Vicarium, perdidit jus presentandi Regularem, cum alterutrum facere positum fuerit in ejus liberrima voluntate. Aliud foret, si interea temporis aliquando presentasset Regularem, & presentatione hac non admissa ab Ordinario, acquievisset rejectioni presentationis, ac presentasset Sæcularem; hoc enim casu disturbata fuisset possessio potestatis presentandi alternativæ; & ex parte Ordinarii incipere potuisset præscriptio. Quia autem de illa contradictione, præterquam novissimè, non constat; hinc dicendum, nullum non usum, aut præscriptionem opponi posse, ex qua probetur, quòd amisit jus alternativum presentandi Sæcularem, vel Regularem.

8. Ad tertium Argumentum, vel ponitur in Parochia quæstionis erecta fuisse Vicaria perpetua, vel mansit, ut Litteræ incorporationis voluere, Vicaria solum temporalis? Si primum, Vicaria talis, cum ejusdem ob perpetuitatem ratione voti obedientiæ, vi cuius revocanti ad Monasterium Superiori parere ad nutum debet, Regularis sit incapax, foret quidem Beneficium Sæculare; Sed ut erigatur talis Vicaria in Beneficio Parochiali unito,

ex mente Garc. p. 11. de Benefic. c. 2. n. 12. Corradi l. 3. c. 9. n. 18. & seqq. Leurentii Fori Benefic. p. 1. c. 3. §. 2. q. 114. n. 2. & aliorum DD.

duo requiruntur: primo, ut Vicarium perpetuum Episcopus ponat in Ecclesia sic unita, prout ex Concilii Tridentini c. 7. cit. verbis intelligitur; in Visitatione; Secundo, ut intercedat justa causa, poterit enim aliàs ab ejusmodi perpetuitate Vicarii appellari, cum aliàs dictum Concilium

Sess. 25. c. 11. de Regular.

concedat, quòd possint Vicarii temporales deputari, & tantum id remittat arbitrio Ordinarii, ut, si viderit expedire, Vicarium perpetuum deputet. Quæ duo cum in erectione Vicaria observata esse non constet, præsumendum est, mansisse temporalem, qualis in Litteris incorporationis est constituta.

9.

Si secundum contingat, & ponatur mansisse Vicaria temporalis, immeritò supponitur esse Beneficium Sæculare; etsi enim aliàs in dubio Beneficium potius Sæculare, quàm Regulare esse præsumi debeat, ut propterea asserenti, esse Regulare, incumbat probatio, ut notat Mascard. de probat. concl. 172.

n. 1.

Hoc tamen solum procedit, quando de qualitate Beneficii ex prima institutione, sive Litteris Foundationis, vel ex privilegio, vel aliunde non satis constat. Atqui in nostro casu ex Litteris incorporationis sufficienter constat, quòd Vicaria quæstionis non sit Beneficium merè Sæculare; nam ex communi Sæculare Beneficium illud præcisè dicitur, quòd Clericis Sæcularibus conferri debet, & solet: quæ tamen non est dicta Vicaria, cum in ea juxta prædictas Litteras poni possit Vicarius Sæcularis, vel Regularis. Neque dici potest, quòd ob continuatas ultra sæculum præsentationes Clerici Sæcularis amiserit qualitatem priorem, & novam merè Sæcularis induerit; quia ut num. 6. dictum est, cum præsentatio hæc, quatenus per eam electus est Sæcularis præ Regulari, fuerit actus merè facultatis, Canonice Z. adimere nequaquam potuit potestatem, si voluerit, præsentandi Vicarium Regularem. Ex his ad Quæstionem num. 2. propositam,

IO.
Deciditur
Quæstio.

DICENDUM, memoratæ Canonice hodie competere jus in Parochia P. locandi Vicarium Regularem de suo Gremio; quia, ut ex specie facti num. 1. proposita constat, per Litteras incorporationis jus hoc Eidem quæsitum est; & licet diuturno tempore nullum præsentaverit Regularem, jus tamen istud non perdidit, ut num. 6. ostensum est. Certè si Eidem Canonice admitti

posset alternativa potestas locandi in Parochia quæstionis Vicarium Sæcularem, vel Regularem, incorporatio hujus Parochiæ maxima ex parte careret effectu, per ipsam à Celsissimo incorporante intento; nam ut ex Litteris incorporationis liquet, incorporatio ista facta est, ut Conventus Regularium commodius valeret sustentari; cum eo tempore, quo facta fuit, ad illum congruè sustentandum magna debita necessarium fuerit contrahi. Atqui hoc fructu carere laudata Canonica debeat, si posito in Parochia quæstionis Vicario Sæculari, huic vel maximam, vel magnam reddituum partem cogeretur cedere. Et hinc, cum beneficium Principis deceat esse mansurum,

Regul. 16. in 6.

meritò frui favore isto, qui Eidem per incorporationem concessus est, laudata Canonica optat impofterum; præsertim cum ratio incorporationis, videlicet reddituum pro Conventus sustentatione exiguitas, etiamnum persistat.

Et hinc sequitur 1. Celsissimum Ordinarium nihil contra jus facere, si præsentationi Vicarii Regularis sibi à Reverendissimo Præposito, & Capitularibus facta, deferat. Sic enim beneficium à Prædecessore suo per incorporationem gratis collatum, continuat, & admittendo illam præsentationem id faciet, quod per Motum proprium Pii V. num. 3. casu 7. allegatum Eidem conceditur, imò per verba, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles, deputare, Ordinariis faciendum præcipitur.

II.
Consecra-
ria.

Sequitur 2. Præsentationem Vicarii Regularis, à Reverendissimo Præposito, & Capitularibus factam, fuisse legitimam; quia, ut ex hæcenus deductis patet, Jus hoc per Litteras incorporationis obtinuit, & hæcenus non amisit. Neque necesse est, ut talis Vicarius Regularis habeat secum Ordinis sui Socium; quia

12.

c. quod DEI timorem. 5. de Statu Monach. & Canon.

solum dicitur, ut ejusmodi Vicarius, si commode fieri poterit, unum Canonicum Regularem secum habeat.

Sequitur 3. Canoniam laudatam casu, quo non admitteretur Præsentatio post remonstrationem Juris, & æquitatis, tanquam à gravamine sibi illato appellare ad Sedem Apostolicam, & profequi Jus suum posse; quippe cum nulla alia via restet ad defendendum Jus suum.

13.

SUBSCRIPSIT FACULTAS JURIDICA
INGOLSTADIENSIS.



CON-